

Q. D. B. V.
DISSERTATIUNCULA JURIS
PUBLICI
DE
**SUPERIORITA-
TE TERRITORIALI**

Quam
PERMISSU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILIS, AMPLISSIMI CONSUL-
TISSIMIQUE

DN. JOACHIMI *Mergers/*
GRYPHIMONT. SIL. J. U. D. P. P. CUR.
ELECT. SCAB. ET FACULT. JURID.
ASSES.

PRÆCEPTORIS AC PATRONI SUI SUMME
COLENDI

*placida Eruditorum Censura
sistit*

MARTINUS *Gusche/*

Vratisl. Sil.

Autor & Respondens

IN AUDITORIO ICTORUM

Ad Diem 3. Aprilis

Horis Matutinis.

Anno M. DC. LXII.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN.

D I S S E R T A T I O N E M
P U B L I C A M
S U P E R
T E R T I O R I A M
P R A E M I S S U M A G N I F I C I P T O R I U M O R D I N I S
S U B P R A E S I D I O
V I R I N O T I S A M P L I S S I M I C O N S U L I
D I L I G A C H I M I
G R Y P H O N T S I L I I D P P C L R
E L I C T S C A B E T T A C H T U R I D I
A S S E S
P R A E F E C I T A M P L I S S I M I S I S T R I C T I S
C O L L E G I I
A M P L I S S I M I C O N S U L I
M A R T I N I S G U S T A V I
A N N O M D C L X I I
I N A U G U R I O T O R I U M
A M P L I S S I M I C O N S U L I
L I P S I A E
A N N O M D C L X I I
W I T T E R S P O R N
J O H A N N I S H A K E Y

publi
hil m
Statu
46.
posit
fit, q
hono
hujus
Tute
Exer
lucid
erit.
mnin
am d
dicar
Princ
Mag
tur. P
um, c
Præ
vatur
ratio
stilli
in At





IN NOMINE JESU!
PRÆLOQUIUM.

Doctores necessitatem Juris Publici in Aca-
demiis tractandi, his ferè inter alias rationibus
defensuri probant; primò quod illa, quæ quotidi-
ana, quæ necessaria, & quæ utilia sunt, negligenda
non sint, *l. 25. ff. de liber. leg. l. 1. ff. de Susp. Tut.* sed
sublimiori & accuratori æstimationi reddenda: Jam verò ni-
hil magis quotidianum, necessarium & utile, quam circa Reip.
Statum versari. Et hoc est, quod Imp. Leo in Novellâ
46. dicere non erubuit; Nos, ad legalium capitum com-
positionem ita accommodari oportere, ut quarum usus aliquis
sit, qui bono quopiam Remp. beet, necessariò hæ ferantur, &
honorentur. Deinde prostat alia ratio nimirù, quod nõ minima
hujus Juris portio publici in Pactis, Foederibus, Transactionib9,
Tutelis, ac Testamentis Principum sit comprehensa, *Wurmsf.
Exer. ad Jus Publ. l. 1. qvæ 2.* quibus defendendis, ac si dubia sint, di-
lucidandis, qui Juris Publici cognitione destitutus est, par non
erit. Meritò igitur suggillationes illorum rejicimus ac conte-
mnimus, qui de Jure Publico in Academiis silere, quam quippi-
am dicere malunt, *Hotoman. de Leg. c. 2. n. 33.* quia in illo multa
dicantur, quæ securius taceantur, & tantum iis, qui in Aulis
Principum judicio acriori & experienciâ, optimâ Juris hujus
Magistrâ coruscant, hoc studium relinqvendum esse arbitran-
tur. Falluntur enim & perperam sentiunt; cum serum sit studii-
um, quod in Aulis Principum impendendum, ubi exemplis, nõ
Præceptis opus est. Et cur D. Imp. Justinianus Jus Civile in pri-
vatum & publicum dispescere maluit? Certè nullam aliam ob-
rationem, quam Jurisprudentiam nostram non circa sola e. g.
stillicidia versari, ut cogitarem: non ergò Juris hujus cognitio
in Academiis prorsus exulet: *B. Dn. D. Svezus Jctus & Antec. hu-*

jus Acad. celeb. Exerc. Feud. 1. quest. ex Jur. Publ. 1. Et si quod dicitur, Turpe est Patricio & Nobili, causas oranti, Jus in quo versatur ignorare; *l. 2. §. 43. ff. de Or. Jur.* Quanto turpius erit, Patria Jura nescire & domi exulem agere. Quibus verbis assentire videtur Magnificus Dn. Carpzovius, quando dicit, *Disp. 1. Syn. Jur. Feud. qv. 1. ex A. B. n. 6.* Non solos Aulicos ornat Jurispublici cognitio, sed & alios. His ita consideratis, placuit mihi de illâ intricatissimâ, & difficillimâ Materiâ Superioritatis Territorialis pro ingenii mei imbecillitate & Judicii tenuitate, aliquid exercitii causâ proferre. Et quanquam difficile sit, de hac materiâ quid scribere ac decidere, ex eo, quod nomen illud sive dignitas & res der Fürstlichen Landes Obrigkeit / und Oberherrlichkeit neq; Legibus Romanis cognita sit, nec usu Juris & moribus, quibus natales suos debet, satis definita. *Reinking. de Reg. Ser. & Eccl. l. 1. c. 5. c. 3. n. 2.* Annitar tamen id facere pro virili, vestigia Præceptorum legens, & quidem, quo ad fieri poterit, brevibus. Etenim melius est pauca agere cautè, quam multis interesse periculosè. *Nov. 44. c. 1. §. 3. fin.* Quo nomine & veniam hujus conatus mei facilè me apud æquos Rerum Censores impetraturum confido. Faxit interim rerum omnium Sator ac Stator DEUS, ut omnia procedant feliciter. Sit autem

MEMBRUM I.

De Denominatione ipsius Rei seu Etymologiâ
Vocabuli Terrorii.

THESIS I.

Multum è re est, inquit Ulpianus, *l. 1. pr. ff. de Reb. Cred.* pauca de significatione ipsius Rei referre, priusquam ad Verborum Interpretationem perveniamus: Huic monito & ego morem gerens, quædam de Denominatione ipsius Rei præsentis præmittam more Juris. Variis autem reperio vocabulis Universitatem illam in Proceribus Imperii designatam. Nam ea aliquando Ditionis; nonnunquam Provinciæ; item Districtus; Item Diœceseos; vel Imperii, Jdictionis & Regionis nomine exprimitur. Nullam verò denominationem illi convenientius respondere video, nisi eam, quæ usq; crebriori obtinente, nomine Ter-

ne Territorii insignitur, continens Jus Superioritatis *Die hohe Landes-Obrigkeit* cum omnigeno imperio, & Iuditione universalis. Quibus verbis Territorium, tanquam subjectum, sine quo Superioritatis nostrae Jura neque possideri, neque exerceri possunt, constituitur, & describitur, *Knich. tr. de Subl. & Reg. Jur. terr. c. 1. n. 25. & 26. Id. Comm. in Jus Sax. verb. Duc. c. 4. circ. fin.* ita ut exinde ab hoc subjecto nomen sortita sit Superioritas Territorialis. Præter hæc nonnullis aliis pollet nominibus, dum Principalis dicitur, quod Principum personis cohæreat; *Reink. d. cl. 5. c. 5. n. 27. Et Beck. Syn. Jur. Pub. l. 3. c. 4. §. 14. pr.* vel Sublime ac Regium Jus Territorii, ob excellentiam scilicet Principatus, Potentiæ, ac Regionum amplitudinem, *D. Freyer. Disp. Inaug. de Sup. terr. tb. 1. lit. A.* quâ Supremæ illi Eminentiæ, quæ soli Imperatori competit, ut analogâ subordinatur; *Sinolt. de Jur. Pub. Vol. 1. Disp. 6. tb. 5. lit. C.* vel Jus Superius, respectu Inferiorum Magistratum qui exercent Iuditionem; vel Summa Politica Potestas; Et denique Majoritas. Hispani eam nomine Summæ Regis Iuditionis venerantur. Poloni illam terrestrem Honorem & Magistratum, vel Satrapiam indigunt; Ex stylo Curiæ Germaniæ tribuitur illi titulus ratione Principum *der Landes-Fürstlichen Obrigkeit*; ratione aliorum Magistratum *Immediatorum der Landes hohen Obrigkeit / Landesherrlichen Vortmesigkeit; hohen Ober- und Gerechtigkeitt.* *D. Mingius Disp. de Sup. terr. c. 1. concl. 5.*

THES. 2. Examinatâ Superioritatis denominatione territorialis, jam ad ipsum vocabulum Territorii pervenio, cujus derivationis allusiones variè à Dd. prolatas reperio, inter quas tamen nulla magis placet, quam ea, quæ Jus terrendi, quod Magistratus intra fines suos exercet, arguit. Hinc non malè Baldus territorium nuncupavit, spacium terræ Iuditione armatum ac munitum. *Knich. d. tr. de Sub. & Reg. c. 1. n. 3. & 54. Dn. Freyer. d. l.* Insuper vocabuli hujus originem contestari videtur ipse nominis sonus, terramentum quoddam, coercionis ac Iuditionis Superioritatem districtui adhærentem indicans. Sic elegantè ratione deductionem Vocis illustrat Magnus ille Antonius Faber, qui ait; *in Consult. de Duc. Montis. pa. 1. p. 43. ap.*



Ming. d. Disp. c. 1. conc. 6. Territorium, idè à terrendo esse dictū, quod non alius Jdictionem & terrendi potestatem habere possit, quam Princeps Supremus, aut cui Princeps Jdictionem cum territorio dedit. Cum igitur ita accipi debeat Territorium, ut ipsam omnimodam Jdictionem & Jus Universale inseparabiliter in districtu contentum, & districtum, Imperium, & Jdictionem omnigenam inseparabiliter continentem denotet, *Sinolt. ad J. Publ. vol. 1. Disp. 6. th. 11. lit. C. Reink. d. cl. 5. c. 1. n. 4. Mingius d. l. in fin.* jam ulterius in ipsius Vocabuli originem inquirere hinc subsistam, & ad ipsam definitionem, ejusq; divisionem investigandam me accingam. De quibus sit.

MEMBRUM II.

exponens

Definitionem Superioritatis Territorialis, E-
jusque Divisionem.

THESES. I. Superioritas territorialis est Jus & Potestas summi post Imperatorem Imperii, eique annexorum Regalium, sublimi, regiaq; Jdictionis lege, sub nomine & qualitate *der Landes hohen Obrigkeit* concessa, regulariter in omnes territorio inclusos homines, & omnes intra limites territorii res sitas, omnesq; in isto territorio exortas causarum species, civiles & criminales, reales & personales Jure ordinario ac proprio Marte competens. *Knich. d. tr. de Subl. c. 1. n. 1. Reink. d. cl. 5. c. 3. n. 3. D. Beck. Syn. J. P. d. l. 3. c. 4. §. 8. Frey. d. Disp. th. 1. Sin. d. Disp. th. 5. Mingius d. l.*

THESES. 2. Et Jctum, uti quemvis suæ disciplinæ professorem, laborare oportet, ut rerum suarum accuratas constituat definitiones, ut hinc *Nevizan i. Silv. Nupt. n. 171.* eum, qui nescit definire, à disputando removeat; Sed in rerum legalium definitionibus tradendis non superstitiosi esse debemus, & nodū in scirpo quarere; Nec enim ajente *Johan. Fabro, ad §. 9. f. de J. N. G. & C.* curiositate definiendi quis vel obulum lucratur; Polui verò genus hujus Superioritatis Jus & potestatem ad imitationem §. 1. J. de Tutel per quæ duo vocabula intelligitur auctoritas faciendi. Quo ipso quasi genus duplex contra regulas Logicorum definitionis sit, dubium removeretur. Exinde haut
diffi-

difficile erit cognitu accuratâ perscrutanti mente, quid verba
hæc: Jus & Potestas summi post Imperatorem Imperii sibi ve-
liat; Clarâ nempe ista differentiam sistunt Superioritatis il-
lius, quæ κατ' ἐξουχίαν Jdictio & Potestas summa dicitur respec-
tu domini illius, quod solus Imperator habet in universum,
quoad prius; *Knich. d. tr. de subl. c. 1. n. 20. seq.* Et deinde nostrâ
Superioritatis, quæ κατ' ἐξουχίαν i. e. secundû quid, omnigena Jdictio,
suprema Potestas, & Universale Imperium dicitur, respectu se-
inferiorum dominiorum, quæ quoad Dominos locorum parti-
culares, territorii appellatione veniunt, & singulariter vel feudi
lege à Principe, salvâ Superioritate suâ conceduntur, vel jure
allodi, feudariâ tamen conditione petita, possidentur; Qualia
sunt Castrum, Civitas, Oppidum, Villa, Pagus, & Latifundiorum
atqve agrorum multitudo *Lehen- und Ritter Güter / Egen-
thümliche Güter zu Lehen aufgetragen* / quibus & prædia, pascua
nemora & alia loca annumerantur. Ad quem casum notan-
dum venit, concessio castro, prædio, fundo &c. ab Inferiori po-
tissimum Principe, omnimodam Jdictionem non simul esse cõ-
cessam; sed saltim universitatem Prædiorum ac Possessionum,
hac territorii concessione denotari, quia ejusmodi concessio
sui naturâ Universitatem Jdictionis annexam non habet. Et
enim & eæ concessiones strictissimi sunt Juris, ita ut tantum ha-
beat concessum ac quæsitum in iis, quantum expressum sit.
Knich. d. tr. c. 1. n. 33. 46. seq. n. 51. 66. & 83. Ming. d. l. & concl. 8. fin.
Nullus proinde dubito, quin quisquis evidentem ex his cogno-
scat discrepantiam Jdictionis Inferiorum dominiorum, & Jdi-
ctionis illius omnimodæ, quam quilibet Superior cum Univer-
sali & Superiori Jure territorii, Imperialique eminentiæ analo-
go ac subordinato concessam sibi vendicat; Cum itaque hæc
sic se habeant, rectè de hinc eo casu, concessio sc. Ducatu, Princi-
patu &c. territorii Jure omnimodæ Jdictio cum omnibus Juri-
bus Regiis concessa & acquisita putatur, quæ taliter territorio
conjuncta est, ut sine eo nullo modo subsistere queat, non se-
cus ac servitus sine prædio sive fundo dominante; Vel ut ad-
junctum & qualitas sine subjecto esse nequit; Ita nec territoria-
lis Superioritas sine territorio. *Knich. d. tr. c. 1. n. 52. seq. Ming. d. l.
concl. 9. Reink. d. cl. 5. c. 1. n. 7. & 8.*

THES. 3.



THES. 3. Declaratis jam his constat Territorium hic nihil aliud denotare, quam illam Universalem & omnimodam Iudicium in ipso territorio, & qualibet ejus parte radicatum, quã iste ex his denatus canon approbat. Cuicumque competit territorium propriè sumtum; Eidem etiam Iudicio omnimoda tanquam necessarium inhaerens. *Knich. d. tr. c. 1. n. 56. & 80. Freyer. d. Disput. 10. lit. A. pr.* Vulgò exinde dictum constat illud, Iudicium universalem Territorio materialiter & passivè inesse, instar nebulæ, quæ supra paludem est, aut instar acidi & mucidi, quod vino inhaeret; Formaliter autem & activè consistere eam in personâ Magistratus. *Knich. Com. ad Jus Sax. verb. Duc. c. 4. p. m. 120. & 122. Reink. d. cl. 5. c. 1. n. 8. seq. Sinolt. d. l. th. 11. lit. A.* Quam omnigenam Iudicium deinceps arguit & ipsum in definitione positum vocabulum Imperii, quod generaliter hic accipiendum, quatenus omnia Superioritatis Jura, omnesque illius actus suis complectitur ulnis. *Sinold. d. l. th. D. Reink. d. cl. 5. c. 3. n. 14. Ming. d. concl. 9.*

THES. 4. Si igitur, ut hæcenus dixi, omnimoda illa Iudicio omnia Superioritatis Jura comprehendit, non immeritò & his Regalia accensenda erunt; Etenim ex usu moderno Germaniæ nostræ eò devenit, ut ille Princeps vel Status immediatus, qui Jura Superioritatis habet, plerumque etiam Regalium Dominus habeatur; quia concessio territorii universali præsertim honorem designante Regalem, concessa existimantur omnia Regalia, cum omnigeno Imperio & Iudicio. *Knich. tr. de subl. & Reg. c. 1. n. 80. Frey. d. Disput. 1. lit. C.* Hinc nullus Principum in Germaniâ reperitur, qui Dux, Marchio &c. dicatur cui non realitas territorii respòdeat, vel Ditio ab ipso non possideatur, vel à Majoribus suis non fuerit possessa; *Kn. d. tr. c. 1. n. 25. Et Com. ad Jus Sax. c. 4. p. m. 120.* Et hoc innuitur iis in definitione verbis; Illique connexorum Regalium; quæ ex eò insunt Superioritati territoriali, quod ex feudi regalis possessione proveniant; quæ semper Regiam dignitatem catenatim adjunctam habet. Non inconcinne hæc concluditur; Quicumque habet territorium, cum universitate per prius concessum, ille habet etiam Regalia. *Knich.*

Knich. d. tr. de sub. c. 1. n. 149. 52. & 80. Non autem e contra potest dici ea ex ratione quod Regalia, quae Inferior quis & mediatas ab Immediato habet concessa, non sint Regalia, sed tanquam commoda loci concessi & emolumenta ad illum transferantur. Etenim Regalia, Juraque Superioritatis territorio coherentia, Principis, vel Immediati Status ossibus ita inhaerent, ut in Inferiorem transfundi nequeant. *Jd. d. l. n. 126. & 127.* Et si fieret ut Jdictio omnimoda a Principe inferiori alicui de castro vel villa aliqua conferatur, Jdictio ea non aliter translata censetur, quam quae Domino loci, castri, villae competit; non vero tanquam Duci, Comiti, quo nomine fundatam intentionem in toto Ducatu, Comitatu, habet, tum quia illius Superioritas, quae Regalia involvit, illa sa ac concessionis nescia perhibetur. *Jd. d. l. n. 128. Et comm. ad Jus Sax. verb. Duc. c. 7. c. med. p. m. 175. f. Reink. d. cl. 5. c. 2. n. 8.* Cum igitur is, qui Juribus territorii gaudeat omnigenis, & ipsis Regalibus, non raro exinde in usu loquendi illa duo hodie commixta sunt ac confusa, quae tamen proprie loquendo inter se differunt, tanquam genus & species. *Jd. Knich. d. tr. de sub. c. 1. n. 96. & d. Com. c. 5. pr. p. m. 125. D. Beck. Syn. J. P. l. 3. c. 4. §. 16. f. & 17. pr.*

THES. 5. Sic itaque explicavi, quo nomine Regalia ad Superioritatem spectent territorialem, & qua ratione Principum sint Reservata, quatenus nimirum ea in tesseram & Symbolum, imo pignus summi honoris ac potentiae & ditionis concessa habent; *Knich. d. tr. c. 1. n. 153. Et Com. ad Jus Sax. c. 5. pr. p. m. 123.* Sed ampliozem his addunt expositionem verba illa definitionis, sub nomine & qualitate *der Landes hohen Obrigkeit* / quae denotant, plane hic secernenda esse Jura illa, quae extra territorium exerceri, & sine eo expediri possunt, qualia sunt, quae involuntaria consistunt Jdictione, quae exerceri possunt in alterius territorio, quia in sui exercitio illa nullo circumscripta sunt loco; *Jd. Knich. d. tr. c. 1. n. 160.* Non vero quoad Jdictionalia contentiosa id procedit, quorum respectu quis in alterius territorio pro Privato saltem habetur, ita ut siquid delinquat forum ibi sortiri tenetur ac puniri potest. *Jd. Knich. d. tr. c. 4. n. 3. & 4. Et c. 1. n. 39. 132. & 192. Reink. d. R. S. l. 2. cl. 2. c. 17. n. 99. seq. Bek. Syn.*

B Jur.



Jur. Publ. lib. 3. c. 4. §. 17. m. Nam quilibet Dominus Territorialis suo in territorio representat Imperatorem; Et per consequens Major omnibus in territorio habitantibus illudque transcuntibus putatur. His descriptis Juribus correspondet Creatio Tabellionum, quæ etiam in alterius territorio constitui potest, cum separatim quiddam illa existimetur à causâ territorii, nec in aliquo loco Jdictionem territorii ullam probat. *Jd. Knich. d. tr. c. 1. n. 161. Et Beck. §. 16. fin. Ming. d. c. 1. concl. 13.*

THES. 6. Paucis declaranda veniunt illa Definitionis verba, quæ Regularem Juris Præsumtionem arguunt, quam Princeps in omnes territorio inclusos homines, omnesque intra limites territorii res sitas, omnesque in isto territorio exortas causarum species civiles & criminales, reales & personales, judicii æque peritorii ac possessorii Jure territorii habet, *Sinolt. d. Disp. 6. 1b. §. lit. G. & 1b. 12. lit. A. Frey. d. Disp. 1b. 10. lit. A. cir. med. ita ut ea omnia, quæ sub ambitu illius territorii, quod ut Princeps alibi in Landes Sines tenet, in istius patrocinio esse, eique parere, & subesse censeantur, neque ullus locus, & subditus ab omnigenâ hac Jdictione exemptus sit, nisi specialiter titulus exemptionis & privilegii liquidò probetur ab eo, qui se exemptum dicit. Et cum fundata sit Principis intentio in universali, multò magis etiam super singularibus fundata erit, quæ singula ipsi quoque subjecta sint. Rectè hinc dictum constat; Quicquid intra fines territorii continetur, censetur de corpore territorii, & quicquid intra fines territorii designatur, dicitur veluti sepimento inclusum; Unde limites territorii æstimantur limites Jdictionis & e contra. *Knich. d. tr. de Sub. c. 3. n. 33. seq. Reink. d. R. S. 1. 1. c. 1. n. 25. seq. Beck. Syn. JP. 1. 3. c. 4. §. 17. pr. f.**

THES. 7. Ultima nunc definitionis supersunt verba, Jure Ordinario & Proprio Marte, quæ quodammodo effectum & qualitatem Superioritatis monstrant Territorialis. Ut ut enim Jura hæc territorialia feudi conferantur lege; Attamen tanquam Alodialia ad utilitatem propriam illa nunc respectu præsertim omnimodæ illius & fermè Majestaticæ Jdictionis, quam Principes in territoriis suis exercent in subditos, possidentur. *Knich. d. tr. c. 1. n. 21. 37. 42. 96. seq. §. n. 174. Ming. Disp. c. 1. concl. 15. pr.*

Nolim



Nolim igitur verba, Proprio Jure, intelligi quasi ut allodium
concedatur Superioritas; siquidem ut eleganter Knichen,
ait: *d.l.n.164*. Principes Imperii recognoscunt Jura illinica ter-
ritorio in feudum; Jam pugnancia essent, Feudi Jure habere;
ac proprio sibi vindicare. Proprio Jure enim est pleni-
ori habere iterum Knichen: *d.l.n.171*. siquidem Jdictio Statuum
nostrorum Universalis, non ut olim, administrationis, aut fa-
miliaritatis Jure competit, sed Lege successoria ac conditione;
Verbo: Jdictio hæc Universalis & omnimoda, perpetua, irre-
vocabilis, patrimonialis, & transmissibilis *Id. ibid. n.22. Sinolt. d.*
Disp. 6. ch. 5. lit. G. Reink. d.l.1. cl. 4. c. 16. n. 32. seq. Beck. d.c. 4. §. 8. 12. &
14. pr. nunc facta, omnisque facultas eam prorogandi penitus
abolita, ad eod ut ne ullus subdit9 amplius invito Domino suo se
alterius Jdictioni subicere possit, & si fiat: priori Domino tam
causas, quam personas iterum ad se vocare liceat. Ming. d.c. 1.
concl. 17. cir. fin. Sinolt. d. Disp. ch. 9. lit. A. fin.

THESES. 8. Ordinis ratione sic expostulante sequitur nunc
declaratam hactenus definitionem ipsa Superioritatis Divisio
territorialis, quam nonnulli duplicem faciunt, vel Ecclesiasti-
cam, vel Secularem, Ecclesiasticam vocant vel ratione feudi
Ecclesiastici, vel ratione Jdictionis, quam Clerici habent, tam
in personas Ecclesiasticas, quam in causis Spiritualibus in Lai-
cas summas & infimas. Verum quia Ecclesiastici Superiorita-
tis Jura territorialis non obtinent, quatenus Ecclesiastici, sed
quatenus vel Principes, vel alii Status Imperii sunt; *Id. Ming. d.*
l. concl. 16. Ad hæc cum in propatulo sit, non quodvis feudum
constituere Superioritatem territorialem, nec quamvis Jdicti-
onem esse territorialem, operam ac oleum perdere videntur
divisionem hanc foventes, nec parum Superioritatem territo-
rii violant. Quocirca non immerito eorum ratiocinia judi-
cariam rejicienda.

THESES. 9. Rectius dehinc constituitur Superioritas duplex;
alia Omnimoda & Universalis; Et alia quodammodo Specia-
lis, & particularis; Illa est, quæ per universum diffunditur ter-
ritorium & ratione illorum omnium, quæ intra limites ac fines
istius Universitatis continentur, *alles was darinnen gelegen und*

betrafft ist / fundatam Domino territorii tribuit intentionem in
 omni Superioritatis & Idictionis Iure. Hæc verò, quæ intra
 certas tantum partes, & certa quædam Iura constringitur ac
 concluditur, ita ut alius reliqua teneat. Non enim novum
 est, ut una Provincia zwey-drey oder vierherrig sey / pluriū-
 que dominatu regatur; Sic unus habet die Landesfürstliche O-
 brigkeit / sub quâ tamen hoc casu reliqua, quæ aliis non compe-
 runt, tantum continebuntur, cum aliàs extra casum hunc se-
 quentia omnia contineat; Alius die Landgerichte; Tertius die
 Wildbahn; quartus die Fürstliche Obrigkeit; Quintus die hohe
 Fröhs und Censh; Sextus die Vogrey und Erbgerichte. Quæ o-
 mnia si Domino competant territorii, Iure Superioritatis ipsi
 competunt, & sic Iura Superioritatis sunt; Si verò alii quam
 Domino territorii competant, desinunt esse Iura Superioritatis,
 ideoq; nec subjectionem aliquam arguunt, nec Superioritatē
 veri territorialem Domini tollunt. *Sinolt. d. Disp. 6. tb. 6. lit. B. &
 C. Mingins d. c. 1. con. 18. Reink. d. l. 1. cl. 5. c. 3. n. 13.* Et hoc modo
 Princeps quandoque Superioritatem exercere potest in alteri-
 us territorio; sed Specialem, & quidem vel expressè quoad
 conventionem ac concessionem, vel tacitè quoad consuetudi-
 nem & Præscriptionem, quæ amplius ad alias species trahi nō
 debet, cum hic tantum intelligitur, quantum dictum ac con-
 cessum sit. Sicq; hujus specialis intuitu effectus tunc Idictionis
 illius Universalis in suspenso hæsitare ac adstringi videtur.
*Knich. tr. de subl. c. 4. n. 5. seq. & n. 20. seq. Sinolt. d. Disp. 6. tb. 6. lit. C. fin.
 Reink. d. cl. 5. c. 1. n. 37.* Nunc

MEMBRUM III

menstret

Causam Efficientem & Modos Constituendi &
 Acquirendi Superioritatem Territorialem.

THESIS I. Consideratâ hætenus definitione & divisione,
 rectâ quasi viâ ad Causam Efficientem transeo, quam facilè se-
 quentium ope interpretari quis poterit, cum Imperator tan-
 quam fons & scaturigo omnis Idictionis, Dignitatis & Supe-
 rioritatis, ad quem omnia bona ratione Idictionis pertinent,
 terri-



territorialem hanc Potestatem & Superioritatem, ut Regale quoddam eximium, concedit ac confert; *Knich.d.tr.de Sub.c.1.n.129. Ming.d.Diss.c.2.concl.19. Reink.d.cl.5.c.2.n.19. Sinolt.d.Diss.6.tb.7.lit.A.* Quâ concessâ Superioritate tantum possunt Status in suis territoriis quoad Subditos ac Inferiores, quantum Imperator in Imperio; Observes verò velim quod hæc per Legem Feudariam communicata Statibus Iurâ Majestatica esse desierint ac territorialia inceperint esse, salvo tamen Iure directi Domini seu Superioritatis Cæsareæ, seu Reservatorum Cæsareorum, quæ Imperator nec ex certâ scientiâ, aut motu proprio alienare, nec pro arbitrio in Inferiorem transferre potest. *D. Beck.Syn. J.P.1.3.c.4. §.16.m.* Solus ergò Cæsar, neque ullus alius in Imperio sive sit secularis, sive Ecclesiasticus, ne Ponti fex quidem, hanc concedendi & conferendi potestatem habet. Sunt tamen quædam Iura in Capitulationibus Cæsarum definita, quæ absque Electorum consensu Imperator de novo concedere nequit: *D. Ming.d.l.concl.20. Sinolt.d.tb.7.lit.B.* Inferre licet ex dictis; Si Dux Comes &c. aliquis de Superioritate territoriali non investitâs, eam tamen usurpare auderet, crimen læsæ Majestatis commisisse dicitur. *Knich.d.tr.de subl.c.1.n.124. Beck.Syn. J.P.1.3.c.4. §.14.f.* Et hinc est, quod aliàs dicitur; Regiû hoc Imperatoris Jus in Universitate fundatum Imperii, *Sinolt.d.tb.7.lit.C.* omnis concessionis nescium & à Sceptro Cæsaris inabdicabile esse, *Reink.d.cl.5.c.2.n.18. &c.6.n.94.* quod ipsa A.B. Caroli IV. vix exemplificare videtur, quatenus expressè hac cautum est Investituram feudorum Regalium Majorum, vulgò *Jahn oder Scepter lehn* / soli futuro Imperatori reservatam esse; & non Vicariis, qui tamen vacante Imperii sede de omnibus negociis & Judiciis cognoscendi propriâ vi habent potestatem, competere. *A.B.tit.5.m. N. A. zu Wormis de A.1521. §. Ob auch Sachen. Reink.d.l.1.cl.4.c.19.n.3. & 5. Bek.Syn. J.P.1.2.c.7. §.6.* Quocirca cû hæc limatiorem requirant operam, ingeniumque excedant meum, probè Juris publici Consultis discutienda relinquam, qui jam tum vel limitando per casus nonnullos; vel distingvendo in his dilucidandis periculum fecerunt; Videatur proinde de his *Limnæus, l.3. Jar. Pub. c.12.n.65.64. seq. Arumæus, Disc.d. J.P. t.3.*

B 3

dis.



dis. 1. th. 52. & 76. & M. Dn. Carpzovius. ad L. Reg. c. 11. sect. 15. n. 11. seq.

THES. 2. Intactam post hæc datâ ex modo dictis operâ relinquare nequeo Questionem illam: Num Imperator Jura territorialia in bonis Imperii indistinctè impertire possit? Licet multi pro Affirmantium stent parte; attamen lubentius Negantium assistam sententiæ, motus eâ ratione, quod hæc ab Imperatore Jura concedi ideò nequeant, quia ab alio jam legitimo possidentur titulo, in cujus præjudicium nemo quid committere debet; *R. A. in Augspurg de Ao: 1548. S. Wie wohl auch in der Sinolt. d. th. 7. lit. E. Ming. d. l. concl. 20.* Etenim Summi Principis est, omnes omnium Jdictiones tueri, non turbare, & unum quæque Imperii Statum in eâ conditione, in quâ fuit à sui Principio & origine conservare, ut quilibet Imperatorum in Capitulatione juratò promittit. *Sinolt. d. l. Reink. d. l. 3. c. 1. n. 37 seq.* Sic non parum faciunt adhæc omnia Imperatoris Rescripta, Beneficia, ac Largitiones, quæ tacitè semper clausulam habent annexam; Salvo Jure Imperii, & Cujuscunq̃ue. Item prostat & id, quod Princeps jus quæsitum alteri invito adimere nequeat; Quod privilegia ad alienam injuriâ nō sint porrigenda: Et deniq̃, quod revocatio semel concessæ potestatis non sit concessa Imperatori, ne quidem ex plenitudine potestatis, teste: *Gravetta & Menochio. ap. Beck. Syn. J. P. l. 3. c. 4. §. 15 f. Sinolt. d. l. Quæ tamè limitantur eo casu nempe si Jura hæc territorialia sint vacantia & Imperio aperta atque caduca; quâ ratione Imperator ea libere conferre potest; Ut expressa A. B. verba id docent. tit. 7. fin. Ming. d. c. 2. concl. 20. m. & f. Sinolt. d. th. 7. lit. B. fin.* Ad quam bonorum translationem verò hodiè super additum est, ut Electorum consensum simul Imperator adhibeat, testibus Capitulationib9; *Supr. th. 1. h. M. 3.*

THES. 3. Insuper non incongruè hic Quæritur; Quando Jura hæc territorialia ab Imperatore conceduntur, Nū ea privativè; Nū verò cumulativè concessa intelligi debeant? Posterius *Wurmsero Exerc. 3. q. 16. ar. 16.* aridet; Prius autem verius putatur ob communem *Dd. Regulam dicentium; Quod si per contractum concedatur Idictio, privativè concedi intelligatur; At verò Iura*

ra



ra territorialia ut plurimum per Investituram, quæ species quædam est contractus, transferuntur, & sic privativè. Deinde constat ex investiturâ, utile dominium transferri in Vasallum, idcoq; necesse est, ut privativè transferatur, quia ejusdem Rei dominium penes plures in solidum esse nequit, *l. 5. §. si ff. Commod.* & longè potentius dominium utile est in exercitio, quam directum. Sicq; in hoc Iuris puncto verum prius esse probat, cum Reinkingio, *d. cl. 5. c. 7. n. 32. seq. Dn. D. Sinolt. d. lb. 7. lit. E. pr.* Quid si statueretur, neq; privativè, neq; cumulativè; sed subordinatè concedi Superioritatem territorialem: nec eam hanc concedens in Principum terris unâ exercet Idictionem, nec in ejus situm arbitrio; causas avocare, dum tamen per viam Appellationis, & aliis proditis modis lites coram Statibus agitatae regulariter ad eum recurrunt, privasse se suâ Idictione dici nequit.

THES. 4. Sed ut res à suo deducatur principio, considerare porrò volui circa causam Efficientem; Quisnam Autor sit, qui Superioritatem territorialem ex munificâ liberalitate suâ, primum concesserit? Hunc manifestò præcipui & Historici & Iuri cuiq; illorum scripta replicanti sistunt; Carolum sc. M. qui redactis in Provincias Ditionibus earundem e. g. Duces, Marchiones perpetuâ regali dignitate cõdecoravit, ut eò fortig & audentius versus hostes irent, & vim ab Imperio defenderent; Itâ enim comparati naturâ sumus, ut quæ quasi propria sunt, impensius tueamur; Quam à M. illo Carolo introductam novam Reip. formam successores Imperij, Conradus, Henricus Auceps, Ottonesq; & alii non disjecere sed modis stabilivere omnibus. *Knich. d. tr. de sub. c. 1. n. 12. Et Com. ad Jus. Sax. Ver. Duc. 6. 3. ir. pr. p. m. 118. Ming. d. c. 2. concl. 21. Sinolt. d. l. lit. A.*

THES. 5. Quod præsentia Imperij iura attinet, nemo ignorat, per Investituras, si de Successione antiquorum feudorum potissimè quærat, omne Superioritatis hujus transferri Ius insuccedentes, quibus à Primo acquirente prospectum bene; Ut ut enim sint, qui inter Investiturarum formale & effectum distinguant, experientia tamen, rerum optima Magistra testis est, ni-

hil

hil restare quoad plenum Feudi Regalis usum, dum Symbolo-
rum quorundam interventu investitio peracta est. Feudum no-
vum Regalem dignitatem annexam habens quod spectat, an
præter factam investituram & inductio in possessionem neces-
saria sit, ut per hanc quasi totum negotium consummetur, me-
um non est judicare: Iudicent illi qui rerum harum peritissimi
sunt. Cum igitur concedere Superioritatem territorialem po-
tissimum in Investiturâ tanquam fundamento consistat Impe-
ratorum; Qværo nunc, Num ex hoc quasi fundamento Status
Imperii ab Imperatore formetur? Periculosa hæc est quæstio:
cum sint, qui statuunt, solam inscriptionem in Matriculam (quæ
Indictionum catalogus est) Statum propriè dictum facere; Alii
admiscent præstationes Collectarum & territorium cum o-
mnimodâ Regalium Idictione. Sed illis hæcenus herba præbi-
ta fuit, qui ad essentiam Status perpetuò requirunt, illam in-
scriptionem in Album Imperiale & κοινωσίαν τῆς δεχῆς πολι-
τικῆς. seu Communicationem fessuræ ac dictionis sententiæ;
cumqve Status dignitas sine feudatariâ possessione esse possit,
uti poterant ostendendæ rei exempla laudari, conclusio forma-
ri posset; Statum quem non fieri, si ipsi Superioritas hæc Rega-
lis conferatur. *Gail l. 1. obs. 2. 1. Ming. d. c. 2. con. 22. § 23. Beck. Syn. J.
P. 1. 3. c. 2. § 5.*

THES. 6. Idictionem igitur & Superioritatem Imperatores
territorialem in Principes & reliquos Inferiores immediatos
derivarunt, præcipuè per beneficium feudale & investituram
uti th. præcedente §. actum, quæ titulum possidendi, possessio-
nemqve & dominium tribuit, scilicet si purè fiat. Aliàs enim
si Dominus de Feudo ad se reversuro investiat, conditionata est
investitura, quæ tunc demum capit effectum, cum feudum do-
mino aut ejus heredi apertū sit. 2. *Feud. 26. §. Moribus receptum est.*
Itemque per modum singularis privilegii aut conventionis sub
nomine & qualitate der *Landsfürstlichen oder hohen Ober- und
Herrligkeit* constituitur: Secundus modus innuitur per Coo-
pationem & Relationem in numerum Statuum, quibus pari ra-
tione Superioritas constituitur & acquiritur territorialis, ut Ci-
vitates Libere Imperiales egregio exemplo comprobant Tertiū
effici-

efficiunt modum Præscriptio temporis, & Consuetudo; Nam quæ sunt concessibilia, sunt etiam præscriptibilia; modo Jura Majestatis non impediunt, aut obedientia Superiori debita tollatur, & illa præscriptio vel sit temporis immemorialis, quod tempus vim privilegii atque concessionis habere dicitur, favorque & veneratio antiquitatis ac temporis illius immemorialis loco tituli habetur, nec ullum alium desiderat. *c. Super quibusd. §. præterea X. de V. S. & U. in Augspurg. de Ao. 1548. §. Wenn auch & S. Hätte aber der. Et §. Wo aber innerhalb Menschen gedencken.* Modum quartum excipit submissio & subjectio spontanea, quando quis sponte aliquem recognoscit Superiorem, eiq; se submittit & subjicit in totum: ita tamen ut sese submittens & alteri Jus Superioritatis quærens talis sit, qui etiam obedientiam & subjectionem præstare potest, & ita absq; præjudicio alterius; In alterius enim præjudicium obedientia & subjectio præstita nihil operatur. Et sic Vassallus in Domini sui præjudicium Iudicium ratione tantum certæ litis ac causæ prorogare nequit. *c. 1. §. fin. de prohib. Feud. alien per Frid. 2. F. 55.*

THES. 7. Nec exclusam velim Iudicium Ecclesiasticæ Papalis suspensionem, uti loquuntur: Imò Jus Religionis rectius Statibus restitutum, quam concessum dicitur: Dn. Carpzov. in præf. Jurisprudentiæ Consistorialis: Apologia German. Aug. Confess. Rubr. Von der Bischoff gewalt und Iudicium §. dies ist gewiß. Ibi. Sie zu sich gezogen/und zu ihrem genieß schändlich mißbrauche haben. Adi Pacem Religiosam §. II. & III. Juxta hanc enim cognitio, Decisio, Dispositioque & alia de rebus Ecclesiasticis in Status omni modo devoluta est: hinc natū axioma; Cujus Regio, illius etiam est Religio. Ultimus tandem subjungitur modus, qui est in Statu Ecclesiastico, Electio; In seculari verò successio, quæ defertur ad Descendentes Masculos, ut plurimum ad Primogenitum præsertim in Electorali Dignitate constitutum ut ex A. B. liquidò patet; Ne scilicet majora illa Feuda, quorum dignitatum titulis Imperium redditur augustiss, divisionibus minuatur. Primogenitus verò aliis fratribus suis, qui hodiè & dignitatem & titulum nominis retinent, tantum ad signat, quantum ipsis pro Natalium splendore & facultatibus Principatus ad vitæ sustentationem honestæ suffecerit. *Ming. d. c. 2. concl. 25. seq. Sinolt. d. Disp 6. th. 26.* Succedit

MEM.

olo-
no-
an
eces-
me-
fimi
po-
npe-
status
stio:
(quæ
;Alii
m o-
abi-
n in-
toLi-
tis;
sfit,
rma-
Rega-
yn. J.
ores
iatos
uram
essio-
enim
ata est
m do-
um est.
is sub
er-und
Coo-
ari ra-
ut Ci-
Tertiū
effici-



MEMBRUM IV

ostendens,

Subjectum sive Personas ad suscipiendam Superioritatem territorialem idoneas & habiles.

THES. I. Sicut solus Imperator Superioritatem concedere territorialem habet; Ita solus ille praesumitur Superioritatis hujus capax qui immediate Imperio subjectus est, juxta Recessus Imperii: uti, de Anno 1548. §. *Wiewohl auch. Ming. c. 3. concl. 30. pr. Et Freyer d. Disp. th. 3. lit. A.* Dū verò ad capacitatem territorialis Superioritatis requisiti, ut quis sit immediatus Imperii subditus, probatur id porro ex d. Recessu Augustanode Ao. 1548: §. *Wiewohl auch in der Ringerungshandlung ibi, In ansehnlichen:* Ergò ad constituendum Immediationis effectum sufficit vel personam immediate parere Imperio, vel in, sub, vel ab hoc bona possidere: per d. §. *Wiewohl auch:* cum in alternativis alterutrum sufficiat: Hinc immediatati non oberit mediata territorii feudalis recognitio, in modum sive sub feudi principalis & allodii in feudum redactionis, *Wenn einer den andern sein Engenthum auffregt und zu lehn machet.* Quod ipsum territorium immediate sub, & in Imperio manet, licet non immediate ab Imperio in personam mediatè id recognoscentis dependeat. Alia autem ratio est Comitum & Baronum, Landsassorum, *welche Ihren Landsfürsten unterworfen / und im Reich nicht begütert sein / oder gar keine Güter von / oder unter dem Reich haben.* Hi, licet praesminentiam & dignitatem personae immediate debeant Imperatori, tamen ut subditi Unterthanen und Landsleute Ihrer Landsfürsten adeoq; nec immediati; nec Superioritatis territorialis capaces sunt. *Ming. d. c. 3. concl. 31. Simolt. th. 10. d. Disp. 6. lit. A. Reink. d. l. 1. cl. 5. c. 10. n. 31. seq. Beck. d. l. 3. c. 4. §. 17. med. Gail. de Arr. c. 6. n. 14. seq.*

THES. 2. Si à Serenissimis Electoribus, qui & ipsi ut Atlantes & Columnae Imperium nostrum sustentant, recesserimus Principibus, etiam Ecclesiasticis, quatenus ab Imperio ac Imperatoribus bona Feudalia aliaque cum Regalibus recognoscunt, Ducibus, Marchionibus, Landgraviis, Comitibus, Baronibus, Majestatica haec Superioritas cõpetit. De Civitatibus Imperialibus (missa distinctione inter Imperiales & Liberas Imperiales, cum realis differentia nulla subsit, utraque enim aequali pollent libertate) agitata controver-

troverfia est, num aptæ sint ad hoc Sublime Territorii Jus? Contra-
 dictorem earum sese agit Andreas Knichen *d. tr. Syn. de Subl. & Reg.*
ter. Jur. c. 1. n. 116 p. 46. cujus verba adscribo hæc: Verùm contrarium
 (contra Gailium) statuo, siquidem Civitates Imperiales, licet Status
 Imperii sint, ipsisq; competat omnigena Jdictio, nec non districtus,
 non tamen earum ditio in Ducatum, Marchionatum, vel Statum
 alium dignationem Regiam annexam habentem, erecta est, nec Feu-
 di lege recognoscitur, quod evenit in Principibus, quibus eo ipso,
 dum regiam nanciscuntur dignitatem cum territorio, Jura Superio-
 ritatis cõcessa dicuntur; Vnde Jura Territorialia ipsis permiffa nõ
 putantur, sed penes Imperatorem resident, nisi quædam specialiter
 & nominatim vigore singularis privilegii indulgeantur. Duo sunt,
 nisi fallor, quibus Knichen Civitatibus Imperialibus gloriam Supe-
 rioritatis hujus abjudicare vult quod Principum Jura personalia
 non habeant, nec terras suas feudi Lege recognoscant. Sunt, ex parte
 Civitatum stantes, qui de modo, quo Superioritatis Jura defenden-
 da sint, sese explicare nolunt; Ego, quod supra monui, pro certo
 habeo, eo ipso dum Civitates hæ in numerũ Statuum allectæ sunt,
 districtũq; propriũ habent, eas jure hoc Regio gaudere; Et ita Kni-
 chen utur invitum in partes meas traho. Vide sis Constitut. de Pace
 Constantiæ §. Nos Romanorum; annisus quidem est Knichen ad
 hunc textum respondere: verùm masculè ipsi contra itum est, scili-
 cet eo tẽpore, quo promulgata dicta Constitutio fuit, nõ magis libe-
 ræ fuere Civitates Italicæ quam Imperiales; alteri rationi satis fit;
 si distingvatur inter Jura personalia ac realia; Licet n. Civitates per-
 sonalia Principũ Jura nõ habeant realia tn. habent. *Ming. d. l. cõcl. 32. seq.*
Sinolt. d. D. 6. th. 10. lit. C. & seq. Freyer d. D. th. 3. lit. B. seq. Beck. Syn. J. P. l. 3.
c. 8. 9. & seq. Nec hinc Nobiles Imperii Immediati in Sveviã, Franco-
 niã, Wedderaviã & ad tractum Rheni habitantes sequestrandi sunt;
 De quibus uti & Collegiis quibusdam Canonicorum & Commen-
 datorum Ordinis Teutonici, cum dubium nullum sit, remitto me ad
 Autores. *Ming. d. l. con. 49. Reink. d. l. 1. cl. 5. c. 10. n. 18. & 23. Sinolt. d. th. 10.*
lit. G. & H. Succedat

MEMBRUM V,

quod agat

C 2

De



De Formâ, Fine, & Effectu in genere
Superioritatis Territorialis

THES. I.

Territorialem Superioritatem territorio adhærere, inq; eo constitui, jam expeditum est. Forma quomodo illa constituta exerceatur, est vel Monarchica ut e.g. in Principatibus; vel Aristocraticâ, vel Democraticâ in Civitatibus Imperialibus, in aliis enim penes Patritios & Optimates, in aliis penes Vniversum populum summa Reip. est. *Sinolt. d.l. th. 13. lit. B. & C.* Finem quod concernit respectu illius à quo Superioritas conceditur territorialis, est, ut partem curarum in alios derivaret, eos magis sibi devinciret, splendesceretque magis Ejus & Imperij Majestas, quæ propter illam derivationem nihilominò imminuta est; respectu verò eorum, qui hoc sublimi Jure condecorati sunt, finis obfert se hic, ut præmiū exantlatorum laborum haberent; Et subditorum causa, ut per plures corpus Reip. accuratius curaretur. *Ming. c. 4. con. 50. Sinolt. d. Disp. 6. th. 14. A. B. & C. Reink. d. c. 10. n. 72. seq. & 89.*

THES. 2. Generalem nostræ Superioritatis effectum pono in illo tritissimo Axiomate: Tantum possunt immediata Imperii Membra in suis Territoriis, quantum Imperator in Imperio: Hinc Carolus V. Imp. in cujus Regnis sol non occidit, jactitasse se dicitur; Se in Germaniâ liberis & Regibus, alibi subditis, mancipiis ac servis imperare: & verè Maximilianus I. Imperator se Regem Regum *Reink. d. cl. 5. c. 6. n. 4. & 5. Sinolt. d. Disp. 6. th. 5. lit. A.* professus est: Ne verò hoc axioma monstri quid alat, suis circumscribendum est limitibus; Scilicet, verum est, quoad Jura territorialia & Regalia, non Jura Imperialia, quoad Jurisdictionem ordinariam & omnimodam, quoad personas & res Provinciis subjectas, non per Cæsareæ Potestatis abdicationem, aut exæquationem, sed communicationem, in quantum communicari potest, concessionem & modum beneficii, Salvâ supremâ recognitione. *R. J. de Anno 1576. §. dar. durch dann. Limn. de Jur. Pub. l. 4. c. 8. n. 9. Id. Reink. d. c. 6. & 5. Ming. concl. 54. & Beck. Syn. d. l. §. 16. pr.*

THES. 3. Circa effectum hunc expedienda quoq; est una atque altera Quæstio; quarum Prior; Num Jdictio Statuum Imperatore in eorum territoriis præsentem quiescat? Affirmativam sectantes, idè

2

deō id procedere asserunt, quod Imperatori competat Idictio, quā
in omnia territoria territoriorum vel anticipatione, vel concursu,
vel evocatione, vel Jure suo Majestatico exercere & suscipere po-
test. *Ming. Disp. c. 2 con. 24. m. Sinolt. d. Disp. th. 7. lit. E.* Verū in Ne-
gativam propensior sum, & ea verior est; Cum Domini Territori-
ales de modernis temporibus Jura hæc territorialia perpetuo cessa
atque concessa habeant jure, iccirco indistinctè hæc Inferiorum Ju-
dicum Idictio non suspenditur, licet Ipse præsens sit Imperator, se-
cundum canonem de notoriâ Consuetudine obtinentem: Suam cu-
ique servandam esse Idictionem, ne fortassis aliqua fiat confusio.
Prostant deinceps ipsæ Imperii Constitutiones, *Ord. Cam. de Ao. 1495.*
Rubr. die Vnterthanen in ihren ordentlichen Berichten zu lassen: Idque
sub ea d. Rub. in Reform. Worm. de Ao. 1521. Et Ord. Cam. p. 24. 1. in p. t. 5.
S. Vnd soll sonst in 8. S. Wo sich aber. Adde Capit. Car. V. art. 15. Ferdin.
II. ar. 13. Ferd. III. art. 17. in quibus expressè cautum, Subditos Statuū
in ordinariis Iudiciis relinquendos & non evocandos esse; Ipsa Ex-
perientia approbans testatur, Civitates Imperiales, ubi Comitua
habentur, si ibi forte Imperator præsens est, durantibus Comituis,
in Cives suos & subditos animadvertere, Idictionemq; exercere. Ul-
timò urget, quod Imperator oppidò persuasum sibi habeat, Domi-
nos Territoriales non aliter Idictionem hanc Universalem ac omni-
modam exercituros esse pro Sapientiæ ac Dignitatis suæ luce, quā
ipse foret exerciturus; iccirco maluit illam Idictionem suam cuiq;
in suo territorio factam tectamque relinquere, ut & ipsi quid nego-
cii gerendi haberent, illumque à causarum ac laborum multitudi-
ne levarent. Ming. c. 4. concl. 53. Reink. d. cl. 5. c. 7. n. 10. seq. Sinolt. d. l.

THE S. 4. Jam succedit altera Quæstio: Num Imperator cum
quolibet Statu, in qualibet Instantiâ concurrere possit? Quod the-
ma priori non modo valdè conveniens est, sed & ex iisdem funda-
mentis, quibus illud probatum, statuminandum venit. Negativæ
verò subscribens sententiæ, urgeo hoc quod de essentiâ Imperialis
Superioritatis non sit, ut cum quolibet Inferiore in qualibet Instan-
tiâ concurrat Imperator, sed in eo consistat, ut ab omnibus tanquā
Superior recognoscatur, & ad eum tanquam ultimum centrum per
viam Appellationis, simplicis Querelæ, vel Nullitatis recurratur.
Limitant verò dicta quoad actus voluntariæ Idictionis & Reserva-



tâ Principis Summi; Deinde quoad Actus illos, qui immediatè
quietis Imperii tranquillandæ causâ exercentur, circa quos Impera-
tor in toto Imperio mandata publicet, insinuet, affigat, Itemque
quod punctum Collectarum Imperii spectat, quarum intuitu Im-
perator mandet, & decernat; Itemque excipiunt Casus denegatæ
Iustitiæ; Connexitatem *Ming. d. c. 4. concl. 53. fin. Sinolt. d. Disp. 6. th. 7.
lit. E. fin. Reink. d. cl. 5. c. 7. n. 38. seq.* causarum, in quæ cum meum ex-
cedant ingenium, me intromittere supersedeo. Sed tempus est, ut
de specialibus quibusdam ex Superioritate dimanantibus effectibus
tractem. Sit itaque

MEMBRUM VI
monstrans

Effectus in Specie sive Actus Superioritatis
Territorialis.

THESES. I. Iudicium Territorialis licet sit totum intellectuale &
Individuum, constat tamen ex diversis & separatis Actibus Iudici-
onalibus, qui sequuntur ipsam ut effectus suam causam, tam ipsam
Superioritatem, quam Possessionem ejus probantes, ita ut in ambi-
guis nulla melior fortiorve probatio, quam ab his Actibus sumi
possit. *Wurms. Exer. Jur. Pub. 3. qua. 14. f. Ming. c. 5. concl. 59. pr. Sinolt. d. l.
th. 16. pr. Knich. c. 3. n. 108. tr. de Subl.* Sunt autem Actus hi vel Ecclesia-
stici, vel profani; Ecclesiastici respiciunt potestatem, quam ut Im-
perator in Imperio; Sic Principes habent in suo territorio in ne-
gociis Sacris & Ecclesiasticis Dei honorè, nostrâ Salutè & Ceremo-
nias &c. cõcernentibus. Dictum n. est Rerû Dominis: Vos debetis esse
Ecclesiæ Nutricij: Proprio sc. Jure, & quatenus rerû potiuntur,
curam, sed ut loquuntur, externam, Religionis habent: quam emi-
nentissimo nomine dicimus Jus Episcopale, quod tribus absolvi-
tur, iis nimirum, quæ sunt Ordinis, Legis Diocesanæ & Iudicio-
nis: Refero huc Ministrorum Vocationes, Confirmationes, Con-
sistoriorum Erectiones, Ordinationes; (mediatè per Consistoriales,
SuperIntendentes, & Deputatos jura quædam exercentur) Inspe-
ctiones, Censuras Ecclesiasticas, Suspensiones, Remotiones, Dispõ-
sationes in gradibus matrimonii prohibitis &c. *Knich. d. tr. de Sub. c.
3. n. 148. seq. Ming. d. l. concl. 59. & seq. Frey. Diss. de Sup. ter. th. 4. & 5. de*
qui-

quibus & aliis actibus plurimis ex professo tractat Sithmann tractatu de Jure Episcopali. c. 11. 12. & 13.

THES. 2. Actus Ecclesiasticos sequuntur Seculares & Civiles ; Inter hos tanquam stella primæ Magnitudinis primò sese offert Homagium ; quod respectu recipientis arguit Superioritatem, respectu verò præstantis Subjectionem ; & character indubitatus est obedientiæ. *Knich. tr. de Subl. c. 3. n. 157. Ming. d. l. con. 64. Frey. d. Disp. tb. 6. Sinolt. d. Disp. 6. tb. 17. Reink. d. cl. 5. c. 4. n. 1. seq.* Segregetur autem ab hoc fidelitatis Juramentum, quod Domino feudi, ratione bonorum feudalium præstatur ; ut & Juramentum familiaritatis aut domesticitatis, quod ratione officii. *Knich. d. l. c. 3. n. 157. Beck. Syn. Jur. Publ. d. l. 3. c. 4. §. 18. cir. med.* Homagio verò hoc præstito ad Domini territorialis à suis recogniti officium pertinet, ut eorum bona, res, & personas protegat & tueatur ; quam muneris præstationem ratione Jdictionis sive gubernationis territorii universalis suscipit, eoque lubentius Provinciarum Domini Suos defensum eunt, cum si forrè contendendum iudicio, & Jus territorii probandum sit, maximum & certissimum Superioritatis Symbolum erit, si Protectionē tanquā à Domino acceperint Subditi. *Sinolt. d. tb. 17. l. B. Ming. conc. 66. Reink. d. c. 4. n. 43. seq.* Cum hac verò tutione confundenda non est pactitia protectio Extraneorum sive Advocatia *Schutz und Schirms Berechtigtheit* / quia nullam Superioritatem neque Idictionem in quenquam tribuit & arguit : *Schutz und Schirm giebt keine Obrigkeit* : Et ideo Clientes non dicuntur *Schutz Unterthanen* : sed *Schutz und Schirms verwandten* ? *Sinolt. d. l. ibid. Beck. Syn. d. l. c. 4. §. 19. ver. Securitatem.*

THES. 3. Potestatem Statuum Imperii Romano Germanici dependentem à Summâ Cesaris esse, in vulgus notum est ; Quæ universaliter considerata Superioritas nuncupatur, de quâ impræsentiarum tracto : Hæc cum sæpè nomine Regalium concedatur, ab illis tamen distet, paucis itaque, ne labamur, illa differentia attingenda. Superioritas nempe est totum aliquod & Regalia partes ejus : Qui Jure Superioritatis gaudet, ille Majora & Minora Regalia rectè sibi vindicat : *Reink. d. cl. 5. c. 3. n. 14.* Qui vero Regalibus, præter expressè concessa vel præscripta, nihil amplius habet : Possunt quædam Regalia Civitatum Municipalium esse, Superioritatis
Juri-



Juribus apud Principem territorii manentibus. De Regalibus autem hic loci agam, quatenus Juri huic sublimi ut partes insunt: Quæ dicuntur à Rege i. e. Imperatore Rom. qui juxta usum loquendi in Jure Feudali *1. FF. 26. ib. Si verò ad Regem non venerit.* Rex dicitur. Huic ea, uti & alii, penes quem Reipub. regimenta, sunt proprio Jure & primariò (quod verbum addo ob Imperii Status, qui secundariò his Regalibus triumphant) competunt: unde *Kaiserliche Hohheit und Reservaten* dicuntur: *R. A. de anno 1576. §. dadurch.* Et sunt jura (quibus faciendi, præcipiendi, permittendi, vel exigendi, vel possidendi aliquid permissum est) Imperatori proprio, Statibus vero Imperii alieno jure ad salutem & decus Imperii competentia. *Braudtacht, in Method. Jur. Publ. l. 3. c. 4. n. 5. p. 72.* De Regalibus longum catalogum in 2. Feud. 56. habes, Inter quæ eminent Armandiæ, i. e. Jus habendi fabricas armorum bellicorum & armamentaria publica; *per Nov. 85. c. 3.* viæ publicæ, i. e. tutela & munitio Viarum publicarum; *l. 4. C. de Privil. Dom. Aug. l. 7. C. de SS. Eccl.* Cui accenseo Jus conducendi, ut per solitas vias transmeantes, soluto censu & editis nominibus securi reddantur. *R. A. de Anno 1559. §. Damit dann die Obrigkeit.* Item Flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia h. e. Jus coercendi, aut dilatandi, aut retandi fluminis i. e. ripæ muniendæ & alvei purgandi, item reddendi flumen navigabile, si cum per se non sufficeret, alii rivi & amnes in unum alveum, inducantur, *Ming. d. c. 5. concl. 68. Sinolt. d. th. 18. D. Beck. d. c. 4. §. 19. vers. Jus item. Knich. Com. ad Jus Sax. verb. Duc. c. 5. fol. m. 135. seq.* aut moles, quæ navigationem impediunt, tollendæ sint; Quorsum spectat etiam Jus ligna vehendi in flumine *die Stosgerechtigkeit.* Quæ exempla ex Majoribus, aut iis similibus fortè Regalibus allegare volui.

THE S. 4. Inter Minora Regalia locum occupat primum Jus habendi Fiscum; Habeat enim Princeps quod & utilitati, & publicæ necessitati subveniat, cum impossibile sit, ut Status Reip. Sacris Tributis non illatis conservetur: *per Nov. 149. c. Ac sane. 2.* Hac enim sunt nervus Rerum gerendarum, & Reip. sanguis, quo vivit. Ad classem rerum Fiscalium iterum refero. Vias publicas, quatenus reditus omnes, qui ex viis publicis dependent, ad Fiscum pertinent; bona

Et bona vacantia, dum quis moriens intestatus *l. 1. 3. & 4. ff. C. de bon. Vacant. l. f. C. de Petition. bon. subl.* nullum ex qualibet sanguinis lineâ vel iuris titulo legitimum relinquit heredem, vel bonorum possessorem. *d. l. 4. C. de bon. Vacant.* Sunt quidam qui Fiscum non esse heredem, sed loco hujus, contendunt per *l. 51. ff. de Fidejuss.* cum quibus non facio, cū ille surrogetur in locum legitimi heredis per *l. 4. C. de bon. vacant.* inque jura activa & passiva succedat *l. 2. C. ad L. Jul. de vi. add. l. 5. C. de bon. proscr. l. 5. C. de sentent. pass.* Et clarissimum hujus rei testimonium est Nov. *l. c. 1. §. 4. ver. In omnibus.* Deniqvè legata præstet *l. 96. §. 1. ff. de Legat. I. l. un. §. 14. vers. Tamen nec illo (fisco) peperit* *C. de caduc. tollend. Ming. d. c. 5. con. 69. Sinolt. d. l. th. 19. A. & B. Reink. d. c. 5. c. 7. n. 27. Frey. d. l. th. 8. F. Beck. d. Syn. c. 4. l. 3. §. 19. vers. Delict. m.* Id verò cavendum hîc ne cum bonis vacantibus, caduca confundantur bona: Cæterum id, quod Fiscus, etiam non confecto Inventario, ultra vires hereditarias non teneatur, meum non facio: Item Multarum poenarumq; compendia: *d. c. un. 2. FF. 56. l. fin. §. 4. C. de Mod. mult.* Bona, quæ ut indignis auferuntur t. r. D. & C. de his quib. ut indigni, qui ex defuncti hereditate & capere possunt, & capiunt, sed captum retinere nequeunt quod eos Testator vel Lex indignos judicavit; *l. 2. ff. de his, quæ ut indign.* Quibus incapaces opponuntur, quibus relicta pro non scriptis habentur: *l. 12. ff. eod. tit.* Ut & Bona incestas nuptias contrahentium. *l. 6. cum Auth. Incestas. C. de Incest. nupt.* Bona damnatorum & proscriptorum, *d. c. un. 2. FF. 56.* à quibus Novellâ 134. *c. fin.* ita disponente liberi & parentes usqve ad tertium gradum excludunt fiscum; Ac bona crimen imminutz Majestatis committentiū. *d. c. un. 2. FF. 56. l. fin. ff. ad L. Jul. Maj. §. 5. J. de hered. quæ ab int. defer.*

THEs. 5. Malè verò ad hæc Iura referuntur bona Naufragorū, cum iniquum sit, ex re calamitosâ emolumentum captare, & quem nostris opibus juvare debeamus, ei reliquias ad littus ejectas diripere: Quas pravas Consuetudines Imp. Fridericus II. in Auth. Navigia C. de furt. Et Carolus V. Imp. in suâ Nemesi *art. 218.* prohibuit his verbis: *Desgleichen an vielen enden der W. sbranch ist / so ein Schiffmann mit seinem Schiffe schiffbrüchig wird / idass er alsdann der Obrigkeit dessen Drees / mit Schiff / Leib und Güter / verfallen sein soll*

sol. &c. Die und dergleichen Gewonheit wollen wir / daß eine jede Oberkeit abschaffen / und daran sein sollen / damit sie hinfürter nicht geübet / gebraucht / oder gehalten werde / als wir denn aus Kaiserlicher macht dieselben hiermit aufheben / damit vernichten und abthun / und hinfürter nicht eingeführet werden sollen. Metallorum a Fodina & Salina d. c. un. 2. ff. 56. non solum in loco publico sed & privato reperta Principum sunt, oblitterato hac in re Iure, quo fodinas in privato usu fuisse ostenditur l. 3. §. f. & l. seq. 4. ff. de reb. eor. qui sub tut. Ad d. l. Item si fund. §. sed si lapidicin. l. si cuius. §. inde questit. ff. de Usufr. & tantum certa ex earum proventibus portio Fisco attribuebatur. l. 1. §. 2. C. de Metall. Hoc Ius Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus confirmavit Carolus IV. in sua Chryso Bulla; c. 9. vid. ad hanc Arum. c. 9. p. 227. adistitq; eidem Consuetudo quæ juxta A Gellium, li. 12. Noct. Attic. c. 13. Omnium rerum Domina appellatur. Et Dimidium thesauri: Hujus descriptionem vide in l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. Et ex l. un. C. de thesaur. constat quod thesaurus inter δεινόν referatur; quod enim non apparet, pro eo est, quasi non sit, Grotius de Jur. B. & P. l. 2. c. 8. ex eo autem ad occupationem spectabit per §. 12. J. de R. Divis. Et ita modus acquirendi Iure Gentium est; Sed cur Adriani Imperatoris Constitutione circa ejus inventionem opus fuit; Quod enim Gentium Iure jam licet, civili frustra denuo permittitur? Respondeo strictè loquendo thesauri dominium, & fortè illud universale Reip. nondum per sepelitionem extinctum fuit, cum l. 4. §. 6. ff. ad L. Jul. Pecul. pecuniam sepelire prohibitum sit. Sed hoc c. un. 2. ff. 56. requirit, ut thesaurus in loco Cæsaris inventus sit, non datâ operâ vel loco religioso: Si verò datâ operâ totus ad Fiscum pertinebit: Idem in l. 3. §. 10. ff. de Iure Fisci scriptum est, verba sunt hæc: Si in locis fiscalibus vel publicis religiosisve, aut in monumentis thesauri reperti fuerint, Divi Fratres constituerunt, ut dimidia pars ex his Fisco vindicaretur &c. Cum quibus locus pugnare videtur §. 39. In. de R. Div. ubi thesaurus in loco sacro aut religioso inventus Totus fit inventoris: Sed componi hæc his potest; si inter locum Religiosum publicum & privatum distinxeris, quæ distinctio non obscure ex d. l. 3. §. 10. & d. §. 39. colligitur: vid. Dn. Sutholt. ad Instit. Diss. 4. §. 30. Et ad hunc l. Not. Schrocc. p. m. 113.

Wurms.

Wurms. ad Inst. de R. Div. Nuc. Jur. contr. 17. n. 53. seq. Permissa sc. erant Romanis Sepulcra in suis locis propriis.

THES. 6. Tractatum pro instituto meo satis de Superioritate territoriali, quatenus universaliter consideratur; Jam paucis agam de quibusdam, quæ Eidem particulariter annexa sunt, inter quæ eminent Jurisdictionalia: Itum est autem ferè Dd. unanimibus votis in hanc sententiam: Jdictionem esse potestatem *Struve Syntagm. Prud. ad tit. de Idict. tb. 48 p. 138. Et Strauch. Dissert. ad Pand. b. 1. diff. 20. apb. 1 pr.* dijudicandi causas ad judicia spectantes, sive civiles sive criminales, ac in illis causis imperium exercendi per *l. 2. §. 23. §. 32. ff. de Or. Jur.* Audiendus ergò non est Gæhusius in *Pericul. suis Acad 3. quæ. 17. p. 57.* Purè loquendo, scribens, imperium merum ut species sub Idictione continetur. Quid sit imperium mixtum & merum, videndus est textus in *l. 3. ff. de Idict.* Ubi sub verbo animadvertendi, & cognoscendi & dijudicandi actus comprehenduntur. *l. 6. pr. ff. de Offic. Pro Consul.* Jdictio autem simplex est potestas de solis causis civilibus vel pecuniariis (exceptis tamè iis, quæ specialiter committuntur *l. 1. ff. de Offic. ej. cui mand. Id.*) jus reddendi, jure Magistratus competens. De Singulari Jdictionis specie, quam Forestalem vocant, paucis dicam: Sortita est hæc nomen à *Forst* nemore, ubi feræ inhabitant, & est, quæ in silvis aut nemoribus, aut in Banno ferino, eorumque cura & ratione consistit ac exercetur. Præcipuè autem ac conjunctim consistit ea in Jure Foresti, ac banno Venatorio: siquæ unum absque altero constitutum alicui fuerit, frustra sibi Jdictionem Forestalem vindicabit: De banno monendum est, quod sit Jus feras bestias investigandi, persequendi, capiendi certoque loco includendi, aliisque prohibendi, tam in agris & pratis, quam nemoribus & silvis: Quæ verò ferarum species ad bannum superius, & quæ ad inferius spectant, provoço ad *Sixtinum. de Regal. l. 2. c. 18. n. 48. Mingi. d. c. 5. concl. 72 Sinolt. d. l. tb. 20. B. Beck. d. l. 3. c. 4. §. 19. vers. Jdictio quoq. Reink. d. cl. 5. c. 6. n. 23. §. 48.* Ad hanc partem referendum est Jus indicendi Comitia Provincialia, Constituendi Magistratus; Item Dicasteria Provincialia, recipiendi Appellationes, Proclamatio-



rum ac Edictorum, Archivi, Ponderum, Mensurarum, Ulnarum,
& similium. *Ming. d. l. concl. 70. & 72. Knich. d. tr. de Subl. c. 3. n. 188. &*
192. Sinolt. d. th. 20. C. D seq. Reink. d. c. 6. n. 45. & d. cl. 5. c. 4. n. 126. 115 Beck.
d. l. vers. tertio vigore. vers. Hoc jure: vers. secundo. Et vers. Ut autem.

THES. 7. Et aggratiandi Jura Superioritatum territorialium,
Domini meritissimo suo sibi vindicant: Modo cautio observetur,
ne delictis, quæ notavit Jus Divinum, vel aliàs indistinctè ac temerè
remissio hæc adhibeatur; *Knich. Com. ad Jus Sax. verb. Duc. c. 5. p. m. 163*
seq. Ming. d. c. 5. con. 74 seq. Sinolt. d. l. th. 21. B. seq. Reink. d. cl. 5. c. 6. n. 27. seq.
Freyer. d. Disp. th. 9. C. Beck. Syn. d. l. §. 19. vers. Delicta quoq. Nec cõcesse-
rim hanc dispensandi provinciam cui merum competit Imperium,
facere huc credo quæ can. 3. disti. 4. ex Augustino *lib. de Verâ Relig. c.*
32. habentur: Scilicet, in istis temporalibus legibus, quanquam de
his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint insti-
tutæ & firmatæ, non licebit Judici de ipsis Judicare, sed secundum
ipsas: cujus sententiæ etiam est Anton. Miraldus; Controv. Jur. li. 1. c.
23. Non iniquum, inquiens, esse censemus, si æquitati in pœnis præ-
feratur jus strictum, cum hic magni inter sit Reip. ne pœnæ, quæ nec
lenius, nec acerbius, quàm meritum delicti postulat, irrogari delin-
quentibus debent vel excedant culpam, vel eâ inferiores sint, sed
juxta Legum Sancita infligantur, nisi fortean Superius Judicium,
Inferioris sententiæ emendet, & sic leniori supplicio delinquentē
afficiat: Et Gailius: l. 2. Obser. 23. n. 26. Æquitas, ait, inon adjuta legi-
bus curanda non est, & Judex aliud judicare non potest, quam quod
jure definitum est. Restitutiones insuper existimationum imminuta-
rum ob crimina; Salvi Conductus; Collegiorum licitorum appro-
bationes, Nundinarum Vulgarium, non tamen Universalium, uti
sunt Francofurtenses, Lipsiæ, Naumburgenses &c. Item Inducia-
rum Concessionem Moratoriæ & sexcenta alia sublimè hoc Re-
giumqve Jus quam egregiè ostendunt. De Jure recipiendorum Ju-
daeorum controvertitur: Esse verò hoc Superioritatis Territorialis
actum extra dubium pono, ob textū Aur. Bul. t. 9. Ibi, nec non Judæos
habere & in German. auch Jüden haben uti legitur in Bullâ, Recessi-
bus Imperii præmissâ. Vid. ad A. B. Arume. c. 9. th. 6. p. 229. Proinde

quæ-

2

quæstio, An Judæi recipi debeant, ab eâ, an possint, separanda est. Sunt enim Deo invisî & in necem Christianorum conspirantes, fractis Legum repagulis sangyinem & pecuniam eorum sitiunt, Remp. q; produnt ac quot diebus in Christum Salutis nostræ Assertorem, blasphemias & execrationes eructant, qui ideò à Rebus pub. nostris abesse debent: Recepti verò semel, ut arceantur iterum, haut svaserim: siquidem vetus Christianorum Ecclesia eos non rejecit, & spes non omnis decollavit, fore, ut quidam ex grege eorum ad nostra sacra transeant. *Ming. d. c. 5. concl. 73. Sinold d. th. 21. F. Reink. l. 2. cl. 2. c. 3. n. 15. seq. Beck. d. §. 19. vers. Judeos item. Freyer. d. l. th. 8. H.* Studendum autem omni ope Magistratui Summo, ut recepti à Christianis habitu distingvantur, prout cautum est in Tabulis Recessus Imperii de Anno 1530. neve ultra quincunces exigant usuras R. 7. de Ao. 1577. t. 20. Et ne in Salvatorem nostrum, nostramque Religionem blasphema verba evomant: prout hæc & alia, juramento ipsis præscripto X. A. de Ao. 1538. Rubr. *Form des Juden Eydcs* Item in Ordinat. Camer. par. 1. tit. 86. se inviolabiliter observaturos promittere debent. De Repressaliis (quæ sunt Pignorationes personæ vel rei, pro personâ vel re alterius ex capite Justitiæ à Magistratu personæ, rei ve obligatæ, denegatæ) itidem lis agitata est inter Doctores; *Sinold. d. Disp. 6. th. 21. F. Reink. d. cl. 5. l. 1. c. 6. n. 126. Limn. Jur. Publ. l. 4. c. 8. n. 313.* Quorum argumenta, cum hic per ignes cineri doloso sappositos incedendum sit, intacta relinquo; Huic verò Propositioni; Cui jus belligerandi comperit, is & Repressalias concedere potest, puto vim & pondus inesse, cum speciem justî belli referant c. Dominus nost. 23. que 2. *add. Gail. lib. 1. Obs. 28 n. 9.* Antequâ verò ad hoc extremû remediû deveniatur, ad vertendum est, an debitum e. gr. sit liquidum, an magnum Item an læsio enormis, delictum atrox, an instantissimè justitiæ administratio petita, & illa nihilominus denegata fuerit. *Id. Limn. d. l.*

THES. 8. Spectant huc etiam Actus Onerum, qui Sublimioris Domini & Eminentia sunt *τεμνησια* & symbola: Hæc verò tam pro administrandâ Justitiâ per leges & legiones, quam pro sustentatione dignitatis & honoris, ac ad promovenda Domini & territorii commoda exiguntur, & jure subjectionis præstantur. Hinc sicut



Domini tenentur protegere subditos, ita etiam æquum est, ut subditi sumtus in hanc rem necessarios subministrant, & operis suis Dominorum conatus & administrationem juvent; *Knich. d. tr. de Subl. c. 3. n. 209. seq. Ming. d. c. 5. concl. 75. Sinolt. d. l. th. 22. A. Reink. d. cl. 5. c. 4. n. 130. Frey. d. Disp. tb. 8. A.*

THES. 9. Restant adhuc brevibus dispiciendi Actus Militiæ quos Principes & Status Imperii hodie ratione Superioritatis Territorialis habent; Licet potestas bellum gerendi olim solius Imperatoris fuerit, adeo, ut qui injussu Principis bellum gessisset, Majestatis reus foret. l. 3. ff. ad Jul. Majest. nec miles sine Principis sacra probatoria sociari potuerit l. 17. C. de Re milit. Hodie verò Dominis Territorialibus etiam hæc belligerandi facultas competit: Cum enim c. 17. A. B. §. fin. & c. X. A. in Speyer de Ao. 1526. §. zum Undern. X. A. in Augspurg de Ao. 1530. §. Und dieweil wier: injustum interdictum est, justum verissima consequentiâ permissum censendum est. Inter hos Actus principem obtinent locum, Potestas conscribendi milites tam in propriam, quam aliorum salutem, legibus tamen Imperii ritè observatis: Jus armorum (de quo & supra est actum) continens Jus Armandiæ Zeug und Rüsthäuser zu haben; Jus fabricandi & parandi tormenta bellica, Geschütz, Artglerey/und Munitien; Impositionem & prohibitionem armorum den Unterthanen Wehr und Waffen aufzulegen und existente rebellion zunehmen: Jus arma exercēdi die Unterthanen in Wehr und Waffen zu üben / quod vulgus Triellen vocat, und in bereitshaft zu halten. Et lustrationē ac Jus delectū agēdi Musterung anzustellen. Tertio ad stat Jus sequelæ, hujus vigore subditi vocati, so auffgefodert sind: Dominum suum bellum moventem, vel ab aliis bello petitem sequi & juvare tenentur, nisi vicarium offerant, vel pecuniam, quæ Jure Feudali 2. FF. 40. Hostenditiæ Fahrlösen Heersteuer vocatur, pendant. Huic coheret postea Jus Apertura die Doffnung / circa quod subditis incumbit, ut tempore belli Domino Territoriali castra & arces, si quas possideant, aperiant, appositionemque militum admittant, daß die Festung mit Soldaten besetzt werde. *Knich. d. tr. c. 3. de sub. n. 238. seq. Ming. d. c. 5. concl. 76. Sinolt. d. l. th. 23 A. B. seq. Frey. d. l. th. 7. A. seq. Reink. d. cl. 5. c. 6. n. 13. seq. Bek. d. §. 19. ver. Domini quoq.*

THES.

THES. 10. Cum verò ideò bellum geritur, ut tandem in pace vi-
 vatur, indubiè adjudicatio Dominis Territorialibus jure belli, lis-
 dem & Fœderum & Legatorum mittendorum Jus competet. *Sinolt.*
d.l.tb.24.A. Reink.d.cl.5.c.6.n.21. Wurms Exer.4. Jur.P. quest.4. Cæte-
 rum de Requisitis Legatorum consulendus Braudlacht: *Epit.*
JPrud.Publ.l.4.c.3.n.7. Graphicè & Barclajus, Nullum tamen, ait,
 quorum negotiorum partium cautiùs exigebat (Meleander) quam
 delectum eorum, quibus ad exteros aut populos Legationem con-
 crederet, reputans, illos venarum instar esse, quæ pro suo habitu, oc-
 cultam salutis aut morbi vim ex diverso tractu terrarum inspira-
 rent in patriam. Jam exhibet se

MEMBRUM VII. & Ultimum
 De Contrariis & Actionibus Superioritatis, Ter-
 ritorialis tractans.

THES. I. Ad Contraria jam me accingo, quæ innuunt mo-
 dos, quibus Superioritas territorialis amittitur, quorum præcipu-
 os referam. Primus est Exemptio ab Imperio, (de quâ memini supra
 fuisse etiã actû) quæ Jus territorii destruit. *Ming.c.6.concl.84. Sinolt.*
d.Disp.6.tb.30.A. & seq. Freyer.d.Disp.tb.12.A. & seq. Insuper Jura hæc
 abusus tollit, quando Dominus territorialis nimia crudelitate & sæ-
 vitia in subditos & Landsassios suos utitur, administrationem ju-
 stitiæ denegat & recusat. Postea amittitur quoque per non usum,
 si nimirum Dominus territorialis sua Jura, & eorundem usum per
 negligentiam & segnitiam omittat, ac eadem occupandi viam aliis
 præbeat, Itemqve ob Crimen Majestatis: vid. *Clement. 2. ver. Rur-*
sus non est silentio. De Sentent. & Re Judic. Capitul. Ferdinand.
III. §. 6. ibi Bündnisse & §. 19. Et Denique amittitur ob causam
 fractæ pacis publicæ; Vid. *Landfrieden de Anno 1548. Tit. die Poen-*
der Friedbrecher. Cammer Gerichts Ord. p.2.t.9. §. so sedmanß.

THES. 2. Porcum jam videns paulisper adhuc Remediis sive Ju-
 diciis immorabor, quæ pro Superioritate Territoriali competunt;
 Quæ Actiones, cum ex variis orientur causis, variè quoque sunt; a-
 deò

bditi
 omi-
 l. c. 3.
 130.
 iares
 Ter-
 npe-
 Maje-
 Pro-
 Ter-
 nim.
 U. 33
 m est,
 nter.
 mili-
 mpe-
 con-
 candi
 n; Im-
 r und
 rma.
 ligus
 dele-
 vigo-
 n mo-
 vica-
 tendi-
 ea Jus
 pore
 aperi-
 Sol-
 oct. 76.
 q. Bek.
 THES.




deò ut vix certi quid de iis defini possit. Remedia verò hæc pro asserendis Superioritatis hujus juribus in duo membra dispe- sci possunt; Dantur enim quædam adversus Subditos, quædam ve- rò contra alios. Contra Subditos quidem; sicut quilibet Magi- stratus suam Idictionem pœnali Iudicio defendere potest. *per l.un. ff. Si quis jus dicenti non obtemper.* Ita & Domini Territoriales pœ- nali iudicio, missione in possessionem bonorum, captis pignori- bus, indictâ mulctâ, incarceratione, & Arrestatione, Superioritatem contra Refractarios Landsasios & Subditos tueri poterunt, *Ming. d. c. 6. concl. 85 f. Sinolt. d. l. th. 25. B. Frey. d. Disp. th. 11. B.* Quod alios spe- ctat, proderit Interdictum. Uti possideris, pro retinendo hoc subli- mi Iure: aut, si Princeps mavult & modū non excedat, poterit bello decertare, & armis vim confestim repellere, & si exutus sit possessi- ne de facto, se ad iterum expellendum præparare; Retinet enim, expulsus possessionem animo. Sunt & alia Iure Civili, ut Inter- dictum Unde Vi, & locupletissima remedia Iuris Canonici, *per c. Redintegranda 3. q. 1. c. sepe X. de Restitut. Spoliat.* & alia pro dita, ex quibus conducibilius eligi poterit. Hæc itaque, Candide Lector, sunt, quæ de propositâ materiâ pro ingenii modulo & iudicii pau- citate adferre volui, potuique: Quintiliani, quantum scio, consilio adductus ferè: Adolescentem scilicet, & suis quandoque re- linquendum esse viriculis. Sit

SOLI DEO LAUS ET
GLORIA SEMPITERNA.




ULB Halle
005 122 49X

3



V.17







Q. D. B. V.
DISSERTATIUNCULA JURIS
PUBLICI
DE
**SUPERIORITA-
TE TERRITORIALI**

Quam
PERMISSU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILIS, AMPLISSIMI CONSUL-
TISSIMIQUE

DN. JOACHIMI *Bergers/*
GRYPHIMONT. SIL. J. U. D. P. P. CUR.
ELECT. SCAB. ET FACULT. JURID.
ASSES.

PRÆCEPTORIS AC PATRONI SUI SUMME
COLENDI

*placida Eruditorum Censura
sistit*

MARTINUS *Guschke/*

Vratisl. Sil.
Autor & Respondens
IN AUDITORIO ICTORUM
*Ad Diem 3. Aprilis
Horis Matutinis.*
Anno M. DC. LXII.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN.

27.
5 16
1662
146